



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Vniverso Popvlo Castellan. civitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

ris, & eorum studeas contumaciam cum Dei auxilio, suffragantibus Apostolorum principis meritis, refrenare. Datum Laterani XVI. Kal. Ianuarij.

V N I V E R S O P O P V L O
Castellan. civitatis.

Epist. 156.
Concedit Re-
ctorem juxta
civium postu-
lata.

Dilectos filios nobiles viros nuntios vestros ad sedem apostolicam venientes benignè recepimus, dilectum filium nobilem virum I. Praefecti concedi vobis postulantes humiliter in Rectorem. Cum igitur tam de ipsis quam ejus patris industria non modicum confidamus, utpote cui universum ferè apostolicæ sedis patrimonium in partibus ipsis duximus committendum, petitio nem vestram libenter admisisimus, & eum vobis in Rectorem duximus concedendum, dummodo communiter ab universitate populi postuletur. Datum Laterani XI. Kal. Ianuarij.

P A T R I A R C H Æ H I E R O S O L Y M I T A N .
& Tyrensi Archiepiscopo, & Aconensi
Episcopo.

Epist. 157.
Ut iuste la-
tam excommu-
nicationis sen-
tentiam rescin-
dant, temere
que excommu-
nicantem Epis-
copū puniant.

Cum olim venerabilis frater noster Tyberiadensis Episcopus suam no stro transmisisset apostolatu quæstionem, quod dilecti filii Magister & fratres Militia Templi mille trecentos bishantios & alia quædam bona Tyberiadensis Ecclesiæ, quæ predecessor ipsius apud quosdam fratres Templi deposuerat, detinerent, & ei reddere denegarent, ipsis per scripta nostra mandavimus ut eidem Episcopo depositum illud, si præmissis suffragaretur veritas, non postponerent resignare; venerabilibus fratribus nostris Sydoniensi & Blibiensi Episcopis dantes firmiter in mandatis ut ipsis eos ad hoc veritate cognita per censoriam ecclesiasticam compellere non tardarent. Verum, sicut prædicti Magister & fratres Militia Templi, tam per litteras suas, quam per quosdam fratrum suorum, quos ad nostram præsentiam direxerunt, non sine multo dolore nobis intimare curarunt, præfatus Sydoniensis Episcopus commissionis nostræ tenorem transgrediens, cum ipsis de terra Antiochiae, ubi pro guerra quæ erat inter dilectos filios nobilem virum Principem Antiochensem & dominum Alapia fuerant aliquandiu commorati, redirent, & quadam die Martis applicuissent ad civitatem Tyensem, eis sequentem

diem Iovis terminum assignavit, quo in ejus præsentia præfato Tyberiadensi Episcopo accederent de deposito responsuri. Quia verò pro aliis negotiis imminentibus præfatus Magister diei præfixæ non poterat interesse, duos de fratribus suis, viros idoneos, pro eodem negotio dereliquit: qui ad diem statutam coram eodem Episcopo venientes, dixerunt se paratos esse prælibato Tyberiadensi Episcopo, si contra eos vellet proponere, juxta tenorem mandati apostolici respondere; & licet præfatus Bibliensis Episcopus conjudex suus absens existeret, ipsi tamen volebant firmiter observare sententiam quam idem Sydoniensis Episcopus, auditis utriusque partis rationibus, super eadem causa ducret legitimè promulgandam. Hoc autem auditio, idem Episcopus modestia pontificali neglecta, suo absente coniudice, nullis auditis rationibus, in multorum præsentia dixit in impetu: *Nisi vos usque ad proximam diem dominicam supradictos bisantios reddideritis, auctoritate Dei Patriis & omnium sanctorum Magistrum ve strum & omnes fratres domus Templi citra & ultra mare, nec non & participes atque amicos ejusdem, vinculo excommunicationis innodo.* Ceterum cum sequenti sexta fe ria prænominati duo fratres, qui apud Tyrum pro causa prædicta remanserant, cum festinatione adiressent Acon, & quæ gesta erant per antedictum Episcopum per ordinem enarrasset, ipse Magister cum fratribus ad te, frater Patriarcha, continuò accesserunt, & tecum de illo negotio diligenter pertractantes, de tuo tandem consilio cum præfato Tyberiadensi Episcopo amicabiliter curaverunt componere, ad majus scandalum eviran dum. Sed præfatus Sydoniensis Episcopus sequenti die dominica, post compositionem peractam, Ecclesiam sanctæ Crucis Tyensem ingressus, post generalem processionem coram omni Clero & populo qui astabat, accensis candelis, ipsum Magistrum nominatim & omnes fratres Templi citra & ultra mare, nec non & amicos & participes domus, sententia excommunicationis astrinxit. Quod fratres postmodum andientes, tantam illatam eis injuriam sic ad animum revocarunt, quod ferè assumptæ religionis propositum relinquere voluerunt, & relata Hierosolymitana provincia, disponebant ad propria remeare. Sed in eo tan-